

runt. Januenses autem post bellum factum, ad castrum cum quinque galéis venerunt, & cernentes destructum castrum, cum duplicata tristitia recesserunt. Et redeuntis Pisani, turrim suprascriptam ligneam combusserunt. Numquam quippe ab annis centum & ultra visum est vel auditum tam campestre & ordinatum bellum, quale Pisani cum Lucensibus habuerunt; nec talis victoria visa fuit vel audita, quam bellicosi Pisani sunt de Januensibus & Lucensibus consecuti. Unde Pisas cum laude & gloria triumphanter pridie Nonas Decembris redierunt jubilantibus vocibus decantantes: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo sit gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

Eodem Anno post prædictam victoriam Pisani, & Vallechienses, & Garfagnini per sex menses taliter obsiderunt Roccham de Corvaria, quod ad plus per dies octo se tenere non poterat. Quod videntes Lucenses & Januenses, quod id viribus facere non poterant, pecunia statuerunt providere. Verterunt namque per pecuniam (animos) tam Versiliensium, quam Vallechiensium, quam Garfagninorum, excepto Gerardo de Vallechia, qui fidelis perstitit, & Pisas habitare cum sua familia venit, & Corso, & filiis Veltri, & quibusdam de Garfagnana. Rectè quidem Versilienses dicti sunt quasi vertibiles; omnia enim vertunt & pervertunt, & credunt pretio honesta fore. Hujus autem proditoris perjurique scelesti consilii & capitanei fuerunt Remundus quondam Guillelmi de Garfagnana Iudex, Parente, & Bonone cum filiis de Vallechia. Tale namque quiddam à seculo non est auditum, quoniam ipsi vicerant, & se victos dederunt. Pisani autem post prodicionem hujusmodi pridie Calendas Maji redierunt.

Anno 1172. Lucenses, & Januenses pro dolore castri Motronis unam turrim ligneam ad viam dictam Regiam facere coeperunt, & bilinguibus injuriis & verbis minabantur facere & congregare per mare & terram mirabilem exercitum contra Pisas, ubi se Januenses jactaverunt debere habere milites quatuor millia, & Lucani totidem, & castrum de Ripa-Fracta viriliter obsidere, & Pisani destruerent Comitatum. Propter quod faciendum Januenses à Barcellona usque in Lombardiam auxilium petierunt, & exercitum incoeperunt; sed eorum vana spes abiit, & defecit. Videntes verò Januenses, & Lucenses, se omnium prædictorum destitutos auxilio, ad civitates Tusciæ se verterunt, & illas contra Pisas solemniter, eas corrumpendo pecuniis, invitaverunt. Quibus Comes Guido, Senenses, & Pistorienses contra Pisas venire & esse magnis securitatibus promiserunt. Et quia Comes Guido cum Florentinis malè stabat, Lucani Florentinos secum noluerunt habere, & quamvis prius invitassent, postea refutaverunt. Quod sentientes Pisani compaginem cum Florentinis fecerunt per XL. annos duraturam, & multa sibi promiserunt, & juraverunt invicem observare; & sic Pisani districtus eo Anno mansit illæsus.

Eodem Anno tribus diversis vicibus Pisani Comune, & societas de Craffina armaverunt contra Januenses, plures naves. Et naviculas, galéas, & galeones, havere, & homines diversa per loca maris ceperunt, & vivam guerram fecerunt.

A Eodem quoque Anno pro Comuni Pisano Albertus quondam Bultii Consul, Burgundius jurisperitissimus, atque Marcus Comes honorificè ad Imperatorem Constantinopolitanum iverunt, & honorificè cum Imperatore compleverunt, & firmaverunt amicitiam; & antiqua pacta, quæ inter ipsius Imperatoris patrem, & Comune Pisani facta fuerant, reformaverunt. Itaque Imperator ipsos Pisanos, quos de Constantinopoli expulerat, redire fecit; & scâlas, quas ibi Pisani habuerant, reformatas in melius ipsis Pisani restituit, & totum solvere quod Pisani tenebant per Annos XV. prædictis Ambasiatoribus restituit. Solvere autem solitus erat per Annum Byzantiis D. pallia duo, & Byzantiis XL. & pallium unum Archiepiscopo similiter omni Anno. Qui fuerunt inter omnes octo millia quadragesimæ Byzantii, & pallia XLV. Et sic cum tribus galéis Imperatoris, & Viris sapientibus Theodofio, & aliis duobus, cum magno honore redierunt, qui per Annos tres & dies tres steterunt, & in publico Parlamento Pisani cum jam dictis Imperatoris Legatis die Sanctæ Lucie juraverunt & firmaverunt.

B Eodem Anno mense Januarii Christianus Archiepiscopus Moguntinus Legatus Imperatoris Federici in Italiam de Alamania venit, & rogatu Januensium & Lucensium Januam & Lucam venit, & postea tertio Nonas Februarii venit Pisas, ubi magnificè receptus ad Burgum S. Ginesii perrexit; & convocatis ibi Januensium, Florentinorum, Pisani, & Lucensium Consulibus, petiit ab eis, ut totam, quam inter se habebant, discordiam ei præseferenti committerent, & captivos, quos habebant, ei darent. Quod Lucenses, & Januenses illico acceptaverunt, & in eum totaliter compromiserunt, & juraverunt. Pisani verò de captivis non dandis consilium habuerunt, & ideo in generali Curia ipse Christianus exbannivit Pisanos, & diffidavit, & eos privilegiis privavit tam de moneta, quam de Insula Sardinie. Pisani autem bene dedissent captivos, sed ipsos absque pace nullatenus dare voluerunt; sed procuraverunt interim, quod homines & Comune Sancti Miniatis cum Florentinis secum essent; & salva fidelitate Imperii juraverunt.

C Eodem Anno Lucenses cum Januensibus levaverunt castrum Viaregii cum magnis ædificiis, & pro conventionem pacis destruxerunt illud.

D Anno 1173. Lucenses cum magno exercitu levaverunt castrum Motronis cum ædificiis magnis, & Pisani iverunt illuc, & turpiter fugaverunt eos, & castrum destruxerunt, & quamplures ex eis ceperunt.

E Eodem Anno mense Julii Pisani miserunt in auxilium Comitis Ildebrandini CXI. milites cum balistrariis, & ædificatoribus; & tunc obsedit, & cepit castrum dictum de Cirifano, quod tunc tenebat Bernardus Stratume; & sic postea mediantibus Pisani ipsum habuit & tenuit dictus Comes Ildebrandinus.

Eodem Anno V. Calende Julii. Archiepiscopus Maguntinus considerans, quod malam famam incurrerat de processu, quem contra Pisanos fecerat, eos à banno absolvit, & in suam gratiam revocavit; & sic Pisani Consules de pace tuenda ipsi Archiepiscopo juraverunt.